

CONCLUSIONES

Ex

Vniverfa Aristotelis
PHILOSOPHIA,

Sub Auspicijs

ILLVSTRISS: ac REVERENDISS: DOMINI

D. CONSTANTINI
BRZOSTOWSKI
Episcopi Vilnensis.

Per

BOGUSLAUM CORVINVM GOSIEWSKI,
ejusdem Philosophiæ Auditorem

Publico Certamini

EXPOSITÆ,

Anno Dñi 1689. die 26. Martij.

Ad Ædes Sanctæ CRUCIS

Congregationis Missionis.

VARSAVIÆ, Typis Coll: Scholarum Piarum.

G 1236 64a
IV



Cum Solea gladij, spirat tua stapia martem
Flumina, Crux, dotes Cynthia cantat Olor.


I. Czyż

96466

ILLUSTRISSIME

ac

REVERENDISSIME DOMINE D. M O E C E N A S GOLENDISSIME



Ruſtrā ſane in hoc caſto Peripateticorum cam-
po, biennalem präcipiti curſu concitafſem Philo-
ſophiam, niſi in Tuæ dignitatis fastigio, gloriaq;
culmine, languentes Ingenij vires restaurare,
neconon fatigata jugi metā deſiderio cvota ſatiare,
quin & coronare liceret. ILLVSTRISSIME

ac REVERENDISSIME ANTISTITES.

Quorū ſum enim Leſconis instar, calle m dūmeto planè ferreo ab Ariftotele conſitum, quōd difficultatum, tōt spinarum aculeis, tōt acutis im-
petentium telis & Labyrinthorum anfractibus inſtructum, recto ſem-
per calcato trāmitē, etiam protracto ad Cleantus Lucernam die percur-
riſsem, niſi tandem concupitum protectioni Tuæ brauium, quo operi
conſummati imponas coroni dem, accipere contingat. Evidem bāc
Tibi magis debetur palma, PRÆSVL ILLVSTRISSIME;

Sapientiā quippe Tuā, toties mihi ob oculos poſitā, aculeos contunde-
bas ne pungerent, dexteritate tela confringebas ne la derent, ingenie
ſinuosos eludebas anfractus ne perderent, ſuauiq; benignitatis Tuæ ſti-
mulo, ſtadiodromum quem honesta laurea perurgebat ambitio, Tra-
bebas, ne aberraret. Sed hanc à Te efflagitare non inglorium, cu-
nis & vi noſtri gloria, & posterorum omnibus numeris abſolutum pieta-
tus & doctrinæ futurus ſis exemplar. Iſtam Tibi probatissima rerum
experiencia & continua nobilissimarum in omni disciplina exercitati-
onum peperit, ſeries, illam rara quā fulges Religio, quæ cum Urba-
nitatus tum grauitatis ubiq; imprimens uestigia, ut Luminare maju-
non modo Orbem Sarmaticum ſed & Ecclesiae Solia circumfusis unde-
quaque radis illustrat. Hinc eſt quōd Philosophia mea gloriosiorem
requiriuit ambire Patronum, ſuſcipte ergo M O E C E N A S AM-

(?)

PLIS.

PLISSIME, banc sedium Tuarum Affstricem Sapientiam,
adbaereat semper lateri Tu studioſa, sed ne Te ad altiora per vir-
tutum cacumina tendente fatigata deficiat, ſuſtentia illam Gentilitio
STAPÆDE Tuo, illo inquam, cui Lithuanus Bellerophon in-
ſtens, in Te M. DVCATVS L. PRIMATE, pari paſſu cum fo-
cia virtutum Aquila Regni ad metas gloriae contendit; illam Her-
um Tuorum SOLEA inſtruē, ne cefpitet, ancipiti GLADIO muni,
ne Gordijs detenta nodus, corruat; LVNARVM ſplendoribus
irradia, ne plusquam Cymmerijs inuoluta umbris lateat. Terrerent
quidem illam intumescencia Majorū Tuorum FLVMIXA, ſed adeſt
collo ſemper ſupereminens undis, candidus ille & canorus OLOR, cum
quo ſi tamen benevolentiae Tuæ prius afflauerit Fauonius etiam ante
funera, ad funera tamen ipſa, Tuam in me Munificientiam, meam in
Te cantabit Obſeruantiam: illam à Tua benignitate & optat & ſperat,
Hanc verò pro debito gratitudinis ſenſu pollicetur & offert.

ILLVSTRISSIMÆ ac REVERENDIŠIMÆ
Celsitudinis Tuæ

Humillimus & obſequentiſſimus Cliens

BOGVSLAVS CORVINVS GOSIEWSKI.

CON-

EX METAPHYSICA.

I.

METAPHYSICA scientiarum omnium naturalium prima, sapientiae simul & scientiae titulum sibi vindicat: qui eam facit entis latissime sumpti contemplative excedit, deficit, qui solius substantiae, rem attigit, qui ens essentialiter compleatum ab omni materiam avulsum ipsi considerandum objicit.

II.

PRINCIPIA alia rei, alia cognitionis; ex his primum tenet locum, impossibile est idem simul esse & non esse. Datur in creaturis potentia obedientialis à naturali realiter indistincta, quam compleri necesse est vel intrinsecè vel extrinsecè: limitanda est ad eos effectus, ad quos creaturæ proportionem quandam habent inchoatam.

III.

PRIMARIA rerum omnium possibilitas à non repugnantia desumuntur. Essentiæ nec reales ab æterno, nec ab existentijs realiter distinctæ. Principium individuationis in metaphysicis nec existentia, nec hypothesis, sed sola differencia numerica; in physicis nec collectio accidentium, nec materia signata, sed forma cum materia.

IV.

ADÆQUATA in quatuor vulgata genera est causæ divisio. Producio alicujus creaturæ sive existentis sive corruptæ, viribus naturæ nulla est, divinitus tamen possibilis: à duabus causis efficientibus totalibus ejusdem generis & ordinis eundem effectum produci implicant. Actio nulla in distans medio nec coagente nec compatible.

V.

Causæ secundæ tam verè agunt quam existunt; nulla tamen creatrix. Altissimum est causæ primæ in reliqua entia dominium; non enim tuetur modò & conservat creaturas, sed etiam cum ipsis immediate concurrit, eas ad individuum determinans: voluntates tamen nostras non prædeterminat; Thomistica enim præmotio in officiosa est.

B

VI.

VI.

SUBSISTENTIA non est entitas superaddita, sed ipsa substantia prout ultimò completa. natura substantialis, nec omni substantiâ spoliari potest, nec propriam simul & alienam patitur hypostasim. Suppositum creatum alienam naturam terminare nequit. Nec accidens potest divinitùs subsistere, nec substantia inhærere.

VII.

TRES sunt proprietates entis primariæ & reciprocæ, Vnitas, Veritas, Bonitas: Vnitas in indivisione entis in se, Veritas in confirmitate cum suis principijs, Bonitas in perfectione consistit. Conceptus entis latè sumpti non perfectè præscindit à suis differentijs. Possibile est ens rationis, cuius parens omnis & solus intellectus creatus.

VIII.

DEUM negas! nec philosopharis, nec sapis: unicus est Deus vel superioris vel paris impatiens, nullos enim perfectionis limites habet: adeò necessario ei convenit existentia (quam à posteriori demonstramus) ut sit formaliter de ejus essentiâ. Character divinitatis, nec independentia, nec intellectio actualis, sed asseitas strictè sumpta.

IX.

ENTI increato ita competit infinitudo categorematica, ut nulli creature communicari possit: ita simplicitas, ut non patiatur compositionem realem, benè tamen mentalem: ita immensitas ut terrâ & cœlo capi non possit, neutquam tamen per spatia imaginaria nisi imaginariè diffusus: ita providentia, ut nihil eam fugiat.

X.

ANGELORUM existentiani qui ratione naturali astruit, oleum perdit & operam: licet immateriales, plures sunt ejusdem speciei: sunt in loco divisibili per virtualis extensionis applicationem: suas species intelligibiles habent à Deo: secreta cordis non penetrant, de quibus tamen raciocinari possunt: ut loquantur Deus infundit speciem.

EX

EX PHYSICA.

I.

PHYSICA corpus naturale scientisicè speculatur. Materia & forma sunt principia compositionis ; qui tamen generationem sine privatione fingit, generationem negat. Materia prima propriam sibi vindicat existentiam ab existentia formæ realiter distinctam, non ideo tamen citra miraculum eam spoliari potest.

II.

MATERIA est pura potentia physica : ejusdem est speciei in singulis corporibus, æqualiter & indeterminatè appetit formas substantiales, quibus unita sine ullo modo realiter super addito, corpus naturale simul cum ipsis essentialiter constituit. Totum physicum a suis partibus collectivè sumptis solâ ratione distinguitur.

III.

FORMA princeps & substantialis, si animam rationalem excipias, educitur è materiæ sinu, in quo ante generationem non actu sed potentia delitescit, eandem formam divinitùs plures materias informare, vel sine materiâ existere, & eandem materiam plures formas totales sustentare haud repugnat. Forma corporeitatis inutilis est.

IV.

QUANTITAS continua & permanens est coœva proprietas materiæ, à quâ realiter distinguitur : ejus essentia in extensione internâ quantitatâ consistit : unica est in unoquoque corpore naturali. Continuum nullis constat punctis. sed partibus actu distinctis & in infinitum dividuis, quæ tamen infinitum categorematicum non componunt.

V.

LOcus vel est internus vel externus, hic superficies ambiens, illæ immensitas divina. Ut duo corpora in eodem loco per penetrationem, sic & idem in pluribus per reproductionem poni absolute non vetat : num in singulis circumscriptivè ? omnino, quidni in uno frigeat, in alio torreatur : imò & vivat hic, moriatur illic. Impli- cat aliquid esse nullibi.

VI.

MVNDVS nec fuit nec potuit esse ab æterno : unicus est in suo genere perfectus ; ita tamen ut perfectior esse potuerit , & ut possint esse plures. Vacuum & possibile asserimus & negamus actuale , utrumque contra recentiores , qui metum vacui nimis exagitant , dum simile quid agnoscant. Rarescit corpus ingressu , densatur egressu corpusculorum.

VII.

MOTVS in genere rectè definitur actus entis in potentia , quatenus in potentia : triplex est , accretio , alteratio & latio : quilibet potest divinitus sieri in instanti. Motus gravium & levium in seipsa , projectorum verò in impetum est refundendus : non implicat motus continuus : repugnat verò idem subjectum motibus contrarijs affici.

VIII.

ANIMA est actus primus corporis organici , physici potestate vitam habentis . unica est in uno vivente , sive simul , sive successivè , eaque non uni tantum parti principi alligata ; omnes enim partes solidas animat , secùs de fluidis dicendum. Inutiles formæ substanciales partiales : inutiles potentiae vitales realiter ab anima distinctæ.

IX.

Qualelibet anima divisibilis est in partes homogeneas , rationali excepta ; hæc est forma verè informans spiritalis licet , & immortalis ; unde creatur simul & infunditur : ad suas operationes indiget speciebus impressis sensibilibus & intelligibilius quæ sensu percipi nullatenus possunt : impressæ effectivè concurrunt ad expressas.

X.

SPECIES sensibiles veniunt ab objectis , intelligibiles verò ceduntur ab intellectu agente ad præsentiam phantasmatum. Proprium & commune sensibile unicâ specie percipiuntur. Lumen non est corpus sed qualitas naturalis. Per intus-susceptionem non verò per extramissionem , in retinâ non in humore christallino , fit visio.



